



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Antiquae Lectionis Tomus ...

In Qvo Plvra Qvam XX. Antiqua monumenta, nunquam edita

Canisius, Heinrich

Ingolstadii, 1602

XXX. De Nobilio Perimento à Polizlao misso; quomodo eo vsus sit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64160](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64160)

retur, cantantibus clero & monachis tota mente totisque
verbis: *Domine suscipe me ut cum fratribus meis sim.*

DE NOBILIOPERIMENTO

*à Polizlao misso; quomodo eo
usus sit.*

XXX.

XIXX

DVX POLONIÆ POLIZLAUS omnesq; meliores
terre illi summa amicitia coniuncti erant; fre-
quentes ei salutationes & literas mittebant, do-
narijs suis eum magnificè honorantes, quia meritis ipsius
ac precibus se apud dominum iuuari plurimum posse con-
fidebant. Alij quoque principes ac diuites de omnibus
terris audientes famam operum eius, audientes eleemo-
synas ei læpnumero ingentia dona mittebant, socios se
fieri & conparticipes studiorum eius deuote postulantes,
quadam vice tegimentum nocturnale mirabilis pretij de
serico auro megalina pelle confectum inter alia ei dona
allatum est, ipseq; auctor domi specialis amicitia signum
hoc esse nuncians, obnixè rogabat, ut in recordatione sui
eius usum dignaretur; ne ué de profligatione rei causaret;
deuote promittit, hoc detecto vel parumper absumpto,
aliud se transmissurum. At præsul accepta veste plicat eam
ac replicat, & diligenter vndique perfectam vestiario suo
commendat. Deinde portitoribus & legatis sub perso-
na mittentis reuerenter inclinat, gratiaque agit dicens,
Siquidem magnæ dilectionis munus hoc testimonium
est. Et ego in memoriam datoris in perpetuum illud ser-
uare curabo ita sartum ut nec mures vel vlli fures furen-
tur vel tineæ demoliatur aut ærugo. Habebat autem cog-
nitos & ex nominibus proprijs notatos omnes paralyti-
cos,

cos, languidos, cancerosos siue leprosos de ciuitate sua, modum, tempus, & quantitatem languoris eorum per se inuestigans, congruaque subsidia omnibus prouidebat & per curatores. Vocato igitur vestiario suo, Tolle, ait, præolarum istud & carum mihi tegimentum, ac pone super illum paralyticum, nomine illum designans, quem sciebat longis doloribus adtractatum, vlceribus scatentem & vermibus, cuius fœtorem vicinia tota perhorrebat. Abijt ille & iuxta mandatum Episcopi delicatissima veste miserimum illum cooperuit, mirantibus ac stupentibus omnibus qui hoc viderant. Erant autem complures maiores ac nobiliores, talia dona de manibus illius accipere consueti qui spe huius delusi vix ab iniuria linguas retinebant, dicentes, non opus esse megalinis pellibus leprosos ac paralyticos tegi, quibus vtique ouium vel leporum vestimēta sufficere potuissent. Sed sunt aliqui Episcoporum qui si hanc vestem corpori subtraherēt, proprio sanguini iniuriā inferri fortasse non negarent, qui terrenæ sapientiæ dediti tales sumptus festiuitatem vocant, qui cor trahētes in terra lingua cœlum pulsant, qui terrenum habent fundamentum, rem suam humanis præsidijs tutādam putāt, moles turrium & interim massam murorū multis sumptibus coaceruantes, spiritualia munimenta vilipendunt. Verum OTTONI beatissimo non ea mens erat, omnem fiduciam in diuinitatis ope collocabat. Castra quidem & vrbes ad terrenos vsus quandoque parabat: sed longe maior Ecclesiarum vel monasteriorum ei cura fuit,

Nnn Quid